IHS

LECTIO SACRA

PRO STVDIORVM EXORDIO IN D. NICOLAI BVRGENSI COLLEGIO.

A Doct. *D. BARTHOLOMAEO DE CASTRO* Almæ Metropolitanæ Burgẽſis Eccleſiæ Canonico, ac ejuſdem Collegii Rectore publicè in Scholis habita die 26. Martii, anni Domini 1621.

Ad Illuſtriſsimum, & Reverendiſsimum Principem D.D. FERNANDVM DE AZEVEDO *Archiepiſcopum Burgenſem, atq; Supremi Senatus Caſtellæ PRAESIDEM integerrimum.*

De ejus mandato typis data.

CENSVRA, & FACVLTAS.

NOS Licent. *FRNCISCVS DE SPINOSSA ALARCON* Almæ Metropolitanæ Burgẽ. Ecclesiæ *Canonicus Pœnitentiarius*, atq; hujus Archiepiscopatus pro Illustriss. & Reverẽdiss. *D. D. FERNANDO DE AZEVEDO* Archiepiscopo Burgen. ac in Supremo Castellæ Senatu PRAESIDE *Vicarius Generalis*, Facultatem concedimus, ut hæc LECTIO SACRA (cui, à *Doct. D. BARTHOLOMAEO DE CASTRO Viro Doctissimo* è suggesto recitatæ, *ex Officio* interfui) prælo committatur, ut *ad manus* Illustriss. Dñi, ac Dñi mei prædicti *ARCHIEPISCOPI* dignè perveniat: cùm nihil in EA, quod nõ *Pium*, *Lepidum*, atq; *Eruditum* sit. Datum Burgis die 2. Aprilis anni 1621.

Licent. SPINOSSA ALARCON.

De Mandato Dñorum Provisorum

Augustinus Diaz de Valdivieso
Secretarius.

ILLVSTRISS. PRINCIPI,

ET REVERENDISSIMO

DOMINO, AC DNO MEO

D. FERNANDO DE AZEVEDO

Archiepiscopo Burgensi, atq; in Supremo Regio Castellæ Senatu

PRAESIDI VIGILANTISSIMO.

Honori meo cedo (*PRINCEPS ILLVSTRISSIME*) TVO *concedo* Imperio. *Tangit ergo* TVA Limina *PRELECTIO nostra, audax fortè dum ad* Illa *venit, audacior tamen (haud dubium) si non venisset. Cerno namque hoc* Opusculum *ingenio meo ejectum*, Imperio TVO *erectum: & quod à me leve, exile, meum; à* TE *(dum præcipis) Grave, Excelsum*, TVVM. *Nunquã* illud *adspexi ut prælo dignum, quippe Stylo purè* ad Scholã, *non dum acri manu scrutatum, neque* Vrsæ lingua *(ut ajũt)* expolitum. *Nunc tamen aperta omnino fronte typis dedi* Munusculũ; *nam quod, nisi* Tutelæ *daretur* TVAE, *prorsus caderet, jam (ceu* pictura *idoneo loco posita) lumen accipit suũ, &* Nomine TVO *illustre non dabitur contemptui. Sed in eo si quid deforme, ignoscetur; si conforme, agnoscetur, & migrabit in* CAPVT TVVM *omnis ista* Laurus. *Illuc enim* revertetur Flumen, unde exiit: *à* TE *namq; hujus* TVI COLLEGII *fluxit* Gloria, *cùm* Illud *è litiũ oppressione* propria manu *ad Disciplinarum gubernatricem* Minervã *revocasti.* TIBI *ergo* TVA *reddo, non dico; & gradum sisto, ut limen* Munificentiæ TVAE *libem, non*

penetrem. Prudensque sileo Laudes à TE, *à* Muneribus, *à* TVIS: *quid enim prodesset in tãta segete eos imitari, qui pudore* defectus *adsectant* copiam; *aut evulgare denuo quod vel* infantes ipsi *prædicant diu?* Præconia *tandem* TIBI *paria non hæc succincta* Pagina, *sed æternus* Annalium *honor dabit in omnem posthumam ætatem: non ut per* Historiã *TVA vivant* Facinora, *sed ut* Facinoribus TVIS *vivat* Historia. *Quæ passim occurrerũt de* TE, *deq;* Illustrissimo PATRIARCHA (*qui* vivit *adhuc in animis mortalium*, vivit *in immortaliũ* Choris) *dixi Numero PRAELECTIONIS* XXVIII. *Nec eò* Munera *commemoro, ut si quis* VOS *fortè non novit,* TE *noscat, &* FRATREM: *imo potiùs* VOS IPSOS *nomino, ut innotescat magnitudo* Munerum. *Grandia enim* Munera *à* VOBIS, *non* VOS *à* Muneribus. *Hoc excipe* animi Obsequiũ *pacato vultu, & adspice ut ex* amoris *Officina, non* mentis. *Ast.* Vale *interim* TVAE, *& nostræ* ECCLESIAE Præsidium, *Religioni* Munimẽ, *& universæ Hispaniæ* sidus *novum.*

Illustrissime Princeps

Obsequio, & *servitutis* Officio *TVVS*

D.[or] *D. BARTHOLOMAEVS DE CASTRO.*

PRO

PRO STVDIORVM EXORDIO IN DIVI NICOLAI BVRGENSI Collegio

LECTIO SACRA.

N. I. Administrato[illegible] COLLEGII [illegible] *nevolẽtia captatu[illegible]*

VT Moralia ſtudia exordirẽ longa jam penè oblivione deleta, corã Vobis PRAELECTIONEM habituro, Ampliſsimi *Adminiſtratores*: *VOBIS*, inquam, ſtrenue *Gubernator*, ac nobiliſimæ hujus Ciuitatis, latiſsimæq; Diæcèſsis pro ſingulari doctrina, integerrimo judicio, virtutum omniũ ſplẽdore *Generalis* electe *Vicari* ab Illuſtriſs. Dño, ac Dño meo *D. FERNANDO DE AZEVEDO Archiepiſcopo* noſtro, ſimul atque Supremi Senatus Regii digniſsimo *Præſide* (quem ò utinã DEVS diutiſsimè, ac feliciſsimè ſervet incolumẽ): *VOBIS* etiã literatiſsimi, ac Religioſiſsimi *Viri* ab ampliſsimo Almæ noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ *Capitulo*

meritò *Deputati*, & ex omnibus ſelecti: *VOBIS* adhuc nobiliſsimi, ac prude͂tiſsimi *Senatores* pro celeberrima hac, & pervetuſta *Civitate* Vocem præſtantes: *VOBIS* deniq; *Collegiu͂* inſigne, & *Collegæ* collegæ mei, Clamyde iſta purpurea omni literarum, ac virtutu͂ decore decorati: Graviſsimi, ac nobiliſsimi *Viri*; Sapientiſsimi, ac Religioſiſsimi *Patres*; Auditores optimi. SACRAM, inqua͂, LECTIONEM habituro in hac inge͂ti, ac illuſtris *Collegii* ſuperba *Domo*, repentè occurrit *Parabola* illa, ſeu potiùs *Griphus*, vel *AEnigma* Sapientiſsimi Regis de *Sapientia ædificante ſibi domu͂, columnis ſeptem exciſsis.* ¶ Huc enim mentem impulit hujus magnificentiſsimæ *Domus* Regius apparatus, *Columnarum* ſtructura, Illuſtriſ. Principis, & Reverendiſs. Dn͂i, ac Dn͂i mei bonæ memoriæ *D. INICI LOPEZ DE ZVNNIGA, ET MENDOZA*, quondam Epiſcopi noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tit. *S. Nicolai in Carcere* CARDINALIS amplisſimi, liberali impenſa (ſeu potiùs pietate) erecta, ut in illa *Sapientia* ſede͂, ſeu ſuggeſtu͂ haberet, & de ſuo pere͂ni,

II *Tractādi* Proverbiorum locum *occaſsio innuitur.*

ac

ãc inexhausto fonte omnis Sacræ, & Humanæ doctrinæ *vinum mixtum* propinaret, pararetq; *mensam* (* mesa franca) ut omnes ad satietatem usq; biberent, epularentur.

III Thema *proponitur*

Quòd si *AEnigmatis* solutionẽ, & *Parabolæ* intelligẽtiã *Vos* expectãtes video, perpendite verba quæso. Sedem habẽt initio capit. 9. Proverbiorũ Salomonis: *SAPIENTIA AEDIFICAVIT SIBI DOMVM, EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM. IMMOLAVIT VICTIMAS SVAS, MISCVIT VINVM, ET PROPOSVIT MEMSAM SVAM. MISIT ANCILLAS SVAS, VT VOCARENT AD ARCEM, ET AD MOENIA CIVITATIS: SI QVIS EST PARVVLVS, VENIAT AD ME. ET INSIPIENTIBVS LOCVTA EST: VENITE, COMEDITE PANEM MEVM, ET BIBITE VINVM, QVOD MISCVI VOBIS. RELINQVITE INFANTIAM, ET VIVITE, ET AMBVLATE PER VIAS PRVDENTIAE.

* *Prover. 9. à vers. 1. ad 7. usque.*

IIII *& exponitur.*

Appositè admodùm Sapiens *Sapientiam* per *Prosopopœjam* inducit conviviũ exhibentem, ut tanto *Magistro* allecti, ac insito sciẽdi naturali desiderio, nulli ita inepti, ac convivæ illi 1 Evangelici, fugerent Regales epulas, animiq; saturitatem.

1 *Matth. 22. 5. & Lucæ 14. 18.*

ritatem. Quam quidem mentis satietatem per Metaphoram deliciarum corporis in conviviis venustè exprimit Salomon. Quemadmodùm enim in lautis cœnis totius generis condìti obsonii fercula varia,& mista pocula moris est ministrare, ut sibi quisque eligat quod magis in deliciis est (ò mas al gusto de su paladar). Sic similiter Sapientiæ cupidi in opiparo *Sapientiæ convivio* convivantes, eligant quam maluerint doctrinam,illiusque disciplinæ præcepta, ad quæ magis illorum genium, ingeniumve dirigitur. (Estudien la Ciencia, à que mas se inclinan.)

2 *D. Tho. opusc.* 57.

3 *D. Aug. to.* 5. *lib.* 15 *de Civitate Dei. ca.* 20. *in medio.*

V *Mysticè à Sanctis Patribus explicatũ.*

Tanti cõsessus majestas sensum *Literalem* præterire non patitur. Non me latet antiquos *Patres*,& Sacros *Ecclesiæ* Doctores quãplurimos invenisse propositi *AEnigmatis* sensus Allegoricos, Tropologicos, Anagogicos; *Literales* paucos. Frequẽtiores de augustissimo *EVCHARISTIAE* Sacramento, ut in ejus Officio accommodat *ECCLESIA* ex Angelico 2 Doctore (& ipse ex Divis Augustino 3, Ambrosio 4, Chrisostomo 5, Cypriano 6): 7 *Sapientia ædificavit*

4 *D. Ambr. to.* 4. *lib.* 1. *de Fide. cap.* 7. *parùm à princ.*

5 *D. Chris. to.* 1. *hom. in Psal.* 22. *in med.*

6 *D. Cypri. li.* 2. *epist.* 3. *ad Cæcil. ante mediũ. aliàs epist.* 93.

7 *Ecclesia in Officio Corporis Christi Aña* 1. *de Laudibus.*

cavit sibi domum, miscuit vinum, & posuit mensam. De DEIPARA; *intra cujus intemerata viscera AEDIFICANTE SIBI SAPIENTIA DOMUM* (ut Divi illius, ac
8 Magni [8] Leonis utar verbis) *Verbum caro fieret, & forma Dei, ac forma servi in unam conveniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore*. His pro
9 nunc omissis, seu potiùs in finem *9* remissis, non reputo vobis doctissimis viris fore injucundum, si exactam hujus *Parabolæ* genuinam intelligentiam vestigemus ad literam.

8 *Leo. epist.* 13. *ad* [Pu]*lcheriam Augus*[t]*am ante medium.*

9 *Vide infra n.* XXIX.

VI Veteres solitos *in Conviviis* Problemata differere, ex Profanis.

Prætermittere oportet veteres tum Græcos, tum Latinos sua *convivia* non tantùm mira ferculorum varietate, sed etiam *Problematum*, & Quæstionum disertis propositionibus condire solitos. Hujus rei testimonia ex profanis autoribus depromere integrum est. Ex Latinis Athenæus lib. 10. *Insita*, inquit, *à natura scientiæ cupiditas efficit, ut etiam in-*
10 *ter epulas aliquid aut docerent, aut discerent libenter, aut didicisse se ostenderent* 10: qui maximam ejus libri partem huic materiæ impendit, docens nimirum qua ratione, & quo tempore *Problemata* in

10 [At]*henæus lib.* 10.

conviviis jactare oporteat; ac plures etiã convivales Gryphos, seu Syrphos cùm proponens, tum etiam edisserẽs. 11
Ad hæc Plutarchus 11 ex Græcis in lib. *Sympoſiacon* multis validiſſimis argumentis evincit inter epulas eſſe philoſophandum. Machrobius demum hac de re elegantiſſimo ſchemate ſic ſcribit: 12 *Si Philoſophia à conviviis exulavit, procul inde faceſſent & alumnæ ejus; honeſtatem, dico, ac modeſtiam, nec minus cum ſobrietate pietatem. &c. Ita fit, ut ab ejusmodi cœtibus relegatus matronarum talium cœtus libertatẽ conviviorũ ſolis concubinis, id eſt, vitiis, & criminibus addicat.* Hactenus ille. (*Que en los banquetes ſi no ſe tratan ſutilezas, vaſe la lengua à murmurar).

Plutarchus in Sympoſiacon.

12 *Machrobius in de Conviviis.*

VII Idem ex Sacris.

Sed ut profana miſſa faciam, morẽ iſtum cœnam *problematibus*, atq; *ænigmatibus* condiẽdi ab Hebræis manâſſe non obſcurè Sacræ Literæ innuunt. Celebris eſt illa *SANSONIS ænigmatica Propoſitio* Philiſthæis objecta intra ſeptẽ convivii dies diſſerenda: 13 *De comedẽte exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* Confirmat Cantici 8. cap. locus illuſtris, ubi poſtquã Sponſa Sponſum

13 *Iudicum 14.*

apprehensurā se dicit, ducturamq; in domum matris suæ; insinuat ibi paratum habere celebre convivium, quādo
14 Cant. 8. 2. daturam se illi promittit 14 *poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum:* additq; *IBI ME DOCEBIS*. Quasi pro nostro diceret instituto: Dum convivio adfueris, ibi me, meosq; docebis, ut pro tua decet sapientia. (*A la mesa discurriremos). Ergo docendi locus, & *AEnigmata* proponendi *Conviviū* est. Quod & clariùs patebit legenti 32. Ec-
15 32. per totū. clesiastici 15 integrum caput, in quo modus traditur, atq; ordo præscribitur in his *Disceptationibus* servādus. Cujus verba, perspicua cùm sint, non indigēt interpretis opera. *Sapiētiā* igitur in lauto cóvivio docentē introducit Sapiēs, MISCVIT VINVM, ET PROPOSVIT MENSAM SVAM: & quæ doceat subjungit, RELINQVITE INFANTIAM, ET VIVITE, ET AMBVLATE PER VIAS PRVDENTIAE.

VIII Quæ *Domus* hìc ad literam intelligenda?

Sed quorsum, obsecro, ad conviviū AEDIFICAVIT SIBI DOMVM, EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM? Pro *Domo* non hìc intelligatis, vellem, ædes ingentes, aut superba palatia; sed

cœnaculum, ſeu triclinium, quod *Do-*
mus nomine notari in Scriptura non
inſolens eſt. Cant. 2. *Introduxit me Rex* 16
in cellam vinariã 16: Hebraicè, 17 & Se- *Canti.* 2.4
ptuaginta *In domũ vini*, id eſt, *Cœnaculũ*, 17.
ubi paratum erat nuptiale convivium. *Vt teſtatur Gl*
Eccleſiaſtes 7. *Melius eſt ire in domum lu-* *ibidem expoſi*
ctus, quàm ad domum convivii 18. Et quidẽ *in fine.*
pro *luctu, & jejunio* ſeparata à reliqua ha- 18
bitatione *cubicula* habuiſſe veteres, eaq́; *Eccleſ.* 7. 3
tenebricoſa, & ſine luce, innuitur 2. Re.
12. ubi de David pro adulterino puero 19
lugente ſic ſcribitur: 19 *Et jejunavit* 2. *Reg.* 12.
David jejunio, & ingreſſus ſeorſum jacuit
ſuper terram. SEORSVM, inquam, id
eſt, in ſeceſſum luctui deputatũ. Ergo
ſeceſſum iſtum appellatũ exiſtimo *Domũ*
luctus, quemadmodùm *cœnatio* diceba-
tur *Domus Convivii.* Itaq; ſenſus Eccle-
ſiaſtes ad hunc modum conformãdus:
Melius eſt ire ad domum luctus, ideſt, lon-
gè utilius eſt *Seceſſum* intrare luctui,
atq; jejunio deputatũ. (*Mejor es el Ora-
torio): *quàm ad Domum convivii*, id eſt,
quàm cœnaculum ſplendidis epulis
apparatum. (* Que el Eſtado, ò ſala de
banquetes).

Sed

Sed quid de *Columnis ſeptem* dicendum? Quorſum Columnæ in triclinio? Quorſum ſeptem? *Septem* complures intelligite juxta vulgarem ita Scripturæ [20] phraſim, ut exemplis non egeat. *Columnas* verò tũ ad ædificii pulchritudinem, magnitudinemq; : cùm præcipuè ut ex iis aulæa ſuſpenderentur ad mẽſam contegendã, ne quid pulveris, aut ſordidum ſuper epulas incideret. Suadet hoc (ne temere conjiciatur) inſignis locus Eſter 1. ubi *Scriptura* cœnationes deſcribens, in quibus Aſuerus Rex ſuperbum illud conviviũ exhibuit; [21] *Et pendebant*, inquit, *ex omni parte tentoria aërii coloris, & carbaſini, ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis atq; purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & COLVMNIS marmoreis fulciebantur.* Quid apertius? Ecce *Colũnas* cœnationum tentoria ſuſtentantes. Hæc de *literali* ſenſu, ſeu potius de *cortice* Parabolæ juxta literæ ſonum.

IX Quorſum *Colũnæ* in *Convivio*? quorſum *Septem*?

20 [C]nſtat ex *Ieremiæ* [.]9. *& ex* 1. *Reg.* 5. juxta lectionem 70. *docetq; D.* [H]*ieron.to.*4. *in cap.* [I]*ſaiæ in prin.& in* [c]*.*54. *circa princ.*

21 *Eſther.* 1. 6.

Sed cùm in AEnigmate verba annectere ſat non eſſe, nemo ambigat; ad ejus enodationem percurrere pro noſtro inſtituto operæpretium eſt. Ergo

X Quid per *Domum* myſticè adumbratum?

gularibus Ecclesiis, quibus universalis, & *Catholica* cõflatur, earũq; præfectibus Episcopis *Septem Sapientiæ Columnas* intelligi acutè colligit Magnus ille Doctor 37 Gregorius ex *septenario* numero: totidẽ enim Ecclesiis Asiæ scribit Evangelista Ioannes 38 Apocalypsim. Igitur NICOLAVS Myranæ Ecclesiæ *Columna* labentem illam doctrinæ, ac virtutum suarum pondere non solùm sustinuit, erexit, firmavit; sed etiam expressum jam supra *Columnæ* munus exercens, aulæum, seu tegumentum fuit, ne quid sordidum, fœdumve decideret in cõmissas sibi pascẽdas oves. Prætermitto vulgare illud (sed rarũ) *Pietatis* exemplum, quo trium puellarum virginum Castitatem, ne fœdaretur, operuit, proviso auri oportuno remedio. Nam (ut uno complectar verbo) *Pater pauperum* fuit, ægentiũq; solatium.

37 *D. Greg. sup. rel. scilicet to. 1. lib. Moral. cap. 17. medio.*

38 *Apocal. 1. 4.*

XIII. Eadem pro Amplissimo *Cardinali* S. Nicolai *Fundatore*.

Quem tanquam exemplar sibi proponens amplissimus noster *Cardinalis Sancti Nicolai* illius verè æmulator extitit, verusq; imitator. Etenim post *Honores acceptos* Proregnũ Neapolitanũ

CARO-

CAROLI. V. Imperatoris Maximi jussu summa cùm omniũ laude exercuisset, singulari DEI providẽtia *Burgẽsi* Ecclesiæ præficitur. Hîc quantum pro Gregis salute laborarit, pro muneris exactione, quantum de Ecclesia benemeruerit; hinc licebit conjicere, quòd diœcèsim ostiatim visitando diẽ clausit extremũ. Cùmq; visitando *propriis*, non jam alienis oculis inspiceret, hoc unũ magis præstare, & ad spiritales miserias miserorũ subditorũ sublevandas, & ad exequendum *Columnæ* expensum *munus* vela obtegentia sustinendi; ut scilicet *Pastorũ* vicariorũ suorũ ignorantiæ mederetur: hujus percelebris, perq; illustris *Collegii institutionem* ex textamento legavit. ¶ Sed piæ admodùm isti legationi quantum decoris, quantum utilitatis, ac venustatis accreverit ex mirifica *administratione* nobilissimæ nostræ *Civitatis*, Castellæ (ne dicam Orbis) meritissimè *Capitis*, testantur isti parietes ab ipsa à fundamentis extructi, (* Gritanlo las piedras). ¶ Vltimũ perfectionis culmen adjecit Illustrissimus, ac Reverendiss. *Princeps*

XIIII
A *Senatu* Burgẽsi *Collegiũ* extructũ.

XV
Illustriss. *Cardinalis Zapata*, quòd *Collegium* perfecerit, proclamatio.

Dn̄s, ac Dn̄s meus *D. ANTONIVS* tit. *S. Balbinæ* Cardinalis *ZAPATA*, dum ſingulari DEI Opt. Max. beneficio Almæ huic *Metropolitanæ* miſeris temporibus præfuit *Eccleſiæ*. Faxit DEVS, ut *Toletanæ* præſit, vel etiā juxta omnium vota *Romanæ*. (* Hecho eſtuviera por merecimientos, i deſſeos). Vltimū, inquam, adjecit culmen, dum in adminiſtratione, confirmante Apoſtolica *Sede*, & Regio ſupremo *Senatu*, Socios adhibuit illuſtriſſimum *Capitulum*, & nobiliſſimā *Civitatem*. ¶ Hinc hujus augusti *Collegii* uberrimi *fructus*, quos, licèt brevi tempore collectos, longū eſſet recenſere, ſed non injucundum. Sileo tot *Canonicos* Doctorales apud *Cartaginēſem, Ovetēſem, Calagurritanā*, & alias Cathedrales Eccleſias. Sileo tot *Cādidatos* apud *Salmātina, Valliſoletanū, Cōplutēſe* majora Collegia. Sileo tot *Iuriſconſultos* clariſſimos ad Regia munera à *Rege* ſelectos: quia favente Deo in dies majora, & majora pro *DEI*, imo & pro veſtra omniū *gloria* conſpicietis.

XVI *Collegii* uberrimi fructus.

XVII Quorſum *victima* in *convivio?*

Sed his breviter tactis, ſi non pro dignitate, progrediamur, ſi placet, in propo-

propositi *AEnigmatis* incepta solutione. Prosequitur Sapiens, seu ipsa *Sapientia:* IMMOLAVIT VICTIMAS SVAS, MISCVIT VINVM, ET PROPOSVIT MENSAM SVAM. Iam vos sciscitantes video cõnexionem *Victimarũ* cum *Vino mixto*, & *Mensa parata*. Si de cortice literæ, ac verborũ quasi ligamine procedat quæstio, facilis enodatio, sed nõ apud Expositiores 39, qui plura annectũt minus cohærentia Cajetanus, Iãsenius, Lyranus. Meminisse oportet ex Levitico 40 non minimam victimæ decoctæ partem domum referre solitum eum, qui pacificas hostias Deo libaverat, ut tum ipse, tum etiam domestici vescerentur. Ex quo fiebat diem illum, quo victimas suas quisque ceciderat, aptissimũ ad *convivium* fore, cùm carnium decoctarum plurimum ei suppeteret. Id ipsum Gentibus etiam solẽne ex verbis Aristotelis 3. Rethoricorum liquet, eum planè cùm imprudentem affirmet, 41 *qui, ubi Diis immortalibus sacrificia mactaverit, apud alium cœnat; & ipse carnes suas sale conditas recõdit.* Ergo Sapiens die *Victimarum* Sapientiã aptè

39 *[Ca]jeta. Iansen. Ly[ra]n. in cap. 9. Proverb. vers. 2.*

40 *[L]evit. 7. per totum, [&] alibi sæpe.*

41 *[A]ristot. lib. 3. Rethoricorum.*

introducit *Conviviũ* exhibentem; non aliter, ac Rex ille Evãgelicus, 42 *Tauri mei* in Parabola dicentem, *& altilia* 42 *Matth.* 22.4.
XVIII *Vinũ cur mixtũ, non merum?* *occiſa ſunt*. ¶ Tum poſtea, MISCVIT VINVM, ET PROPOSVIT MENSAM SVAM. (* Llamolos à meſa pueſta).
Vinum *mixtum* (aqua ſcilicet dilùtũ) notavit 43 Cajetanus minus dignè in 43 *Cajet. Prover.* 9
ſplẽdidiſſimo cõvivio propinari: ideoq; trãſtulit (neſcio ex quo fonte) *Colavit vinum ſuum*, id eſt, defœcatum, & depuratũ vinũ ex dolio jã per ſuas ſtillas deprompſit. Sed jure reprehẽditur noviſimè à 44 Salazario, ut pote qui ſollicitus de ſplendore, & lautitia iſtius 44 *Salazar in cap. Prov. verſ. 5. n.*
Convivii, non meminerit temperãtiæ, quæ cõvivãtem *Sapiẽtiã* decebat. Cùm enim *Sapiẽtia*, ut diximus 45, ad id cõ- 45 *Supra. n.* VII
vivas evocarit, ut illis & *ſentẽtias* dictaret ſuas, & *ænigmata* aperiret; ſobrium valde potũ oportebat, ita ut exhilararet, nõ tamẽ eriperet mentẽ, atq; cõſiliũ. Igitur *Merũ* Sapientiæ inviſũ: igitur ab ipſius ſtudioſis alienum. (* Que la deſtemplãça en el vino haze ingenios groſeros).

XIX *Quid per Victimas adſignificatũ?*

Sed quid ſacratius ad literam *ænigmaticè* adſignificatum? Mirifica (ni fallor

fallor proprio Marte) *Sapientiæ* cum *Victimis* amicitia. Quando *Parabolas* edoctura convivas accersivit *Sapientia*, non abstinet à *Sacrificiis*; imo à *Victimis* incipit, paraturq; *Convivium*: nam 46 *Initiũ Sapientiæ timor Domini*; Timor autem in Religione maximè elucet. (*Letras i virtud son mui hermanas). Ergo rectè *Collegium* nostrum ex utroq; componitur. Ergo aptissimè Illustriss. noster *Cardinalis Fundator* pro morum cõpositione, simul atq; subditorũ doctrina *Collegium* erexit. Quid plura? Ergo appositè admodùm præcipuè pro *Victimis*, id est, pro *Sacramentorum admimistratione* (ut statim subjiciam) *Sapientiæ Domus*, id est, COLLEGIVM nostrum institutum, (*Para hazer buenos Curas).

46 Eccli. 1. 16.

XX In *Columnis septẽ* Ecclesiasticos Ordines figuratos.

Vbi animadversione dignum quidẽ *Ecclesiasticæ Hierarchiæ* gradus, *Ordines*ve septem (*Minores* quatuor; Ostiarium, Lectorẽ, Exorcistã, Acoluthũ; *Sacros* tres reliquos, Subdiaconũ, Diaconum, Presbyterum) tum *Septenario* Columnarum numero, tum *Columnis* illis mirificè adumbrari. Ordines *Septẽ*, Columnæ *totidem*: à *Columnis* istis non

ſolũ ornatur, ſed & præcipuè ſuſtẽtatur Eccleſiæ *Domus*. Vt enim Cœleſtis illa *Angelica Hierarchia* ex ordinibus, ſeu *Choris* novẽ Spirituũ DEO Opt. Max. aſtantium componi Paulus 47 docet ſummis, mediis, infimis: ita viſibili in hac noſtra *Militantis Eccleſiæ* concordi *Hierarchia* (nomen vel ipſum invidentibus 48 hæreticis) DEO ipſi immortali immolantium *Clericorum*, ſeu potiùs libanti *Presbytero* miniſtrantiũ, *Septem* Characteriſticos 49 *Ordines* ſincera *Fides* agnoscit. Quibus ſi *Epiſcopatum* addas, ac primam Clericalem *Tonſuram*, reperies *Nouenarium* numerum *Angelicæ Hierarchiæ* perſimilem; & ſummos, medios, infimos *Sacrorũ miniſtros*. ¶ Vt quemadmodùm DEVS in cœleſti Solio ſedet ſtipatus undique *Angelorum choris*, ita in terra Solium habeat, (ipſam videlicet *Eccleſiam*) in qua ſedeat ſtipatus etiam undiq; *Sacerdotibus, & Clericis*, tanquam Angelis, & adminiſtris Imperii ſui. Quod & ſignificatum volens Regius Vates; 50 *Dominus*, inquit, *in Templo ſancto ſuo, Dominus in Cœlo ſedes ejus*; quaſi indicans conformi-

XXI *Angelicæ*, & *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ* Conformitas.

47 *Ad Ephes.* 1.21. *ad Coloſ.* 1.16.

48 *Conſtat ex Trid. difinitione. ſeſ.* [...] *can.* 6.

49 Minores *etiã* O[r]dines *Charact[eri]* *imprimere docet* [...] *Thom.* 3. *p. q.* 35. [...] 2. *Additionum* [...] *commũiter D D.*

50 *Pſal.* 10. 5.

formitatem utriusq; Dominatus, & *Hierarchiæ*: ut sicut in *Cœlesti Templo* sedet Deus Rex Regum, ac Dominus Dominantium; ita in *Terrestri* sedeat, dominatione, & imperio sacro sublimis, similiq; *Angelorum* circumdatus

51 satellitio. Nam & SACERDOS *Angelus Domini exercituũ est* 51 apud Malachiam; & apud Apostolum 52 *Cœlestium exemplari, & umbræ deservit*: hoc est, simili ratione in *Militante* Ecclesia, ac Angelici Spiritus in *Triumphante*. Sed

Malach.2.7.

52 *Ad Hebreæ.8.5.*

53 cùm *Tonsura* Ordo non sit; nec *Episcopatus* ratione Sacrificii diversus 53 à Presbyterio: relinquitur *Septenarius*, isq; percelebris satis *Ordinũ* numerus. Quos iterum, atq; iterũ *Ecclesiæ* Domus *Columnas septem* appello: quæ in *Sapientiæ Domo* ista, seu insigni *COLLEGIO excisæ* expoliũtur, elaboratæ extruũtur. (* Aqui se criã Ministros para las Iglesias).

[Tr]adit D. Tho. 3.p. [q.]37.ar.2.Additio. [&] cõmuniter Scho[la]stici in 4.dist.24.

XXII *Quorsum hîc Ancillæ?*

Solers ita est *Sapientia* in convivis erudiendis, ut omnibus exposito non contenta convivio, illos etiam *intrare*

54 *compulerit*, ut (juxta 54 Evangelicam Parabolam) *Domus impleretur sua*: insu-

Lucæ 14.23.

per

per addens, MISIT ANCILLAS SVAS, VT VOCARENT AD ARCEM, ET AD MOENIA CIVITATIS. Ad literam *Ancillarum* nomine parum immorandum: cùm enim *Sapientia* sub *mulieris* persona inducatur, *muliebris* decebat comitatus. Nisi malueritis cum. 70. per 55 *Ancillas* Servos intelligere, juxta solemnẽ 56 *Hebraismum* pro masculino fœmineum genus, & è converso.

55 *Translatio* 70 *P* 9.3. *habet* Milit vos suos.

56 *De hoc* Hebrai *D. Aug. to.8. in* 118. *contio.15.* *finẽ. Vide etiã* *astrum in Proœ* *super Pẽtat. cap.* *& super Exod.* *in illa verba,* Fe eis domos.

XXIII *Ancillarum* nomine qui notentur?

Doctores, seu Magistros per *Ancillas* significatos docent frequenter Interpretes cum Glossa 57: qui non, *ut ad arcem vocarent*, missi; sed potiùs *Missi ad arcem*, ut vocarent *invitatos*. Id est, missi super excelsa civitatis loca, ut inde, quò meliùs audiri possent, clariùs evocarẽt; ut ex Hebræo fonte colligit Iãsenius 58: quasi apertè innuens *Doctores* ex *Suggesto* edocturos. (* Pulpitos, i Catedras para leer, i enseñar). Non prætereundũ ex Beda 59, & Hugone 60 *Magistros* non illepidè *Ancillarũ* metaphora describi: tum quia abjecto, non elato animo esse debent, ut ad erudiendos discipulos decet: tum quia soliciti de lucro Dñi sui, id est, DEI Opt. Max. obses

57 *Glos. Ordi. ad ca* *Proverb.*

58 *Iansen. in ca. 9.* *verb. vers. 3.*

59 *Beda ibidem*

60 *Hugo Cardin.*

obsequio: tum denique quia molles, & tractabiles ad infirmitatem, seu tarditatem auditorum relevandam. Quæ omnia, ut in me, & à me desiderãtur, si non *Doctore*, Docturo: ita hoc unum *Ancillarum* propriũ reperitur, infirmitas nimirũ, ac ingenioli tenuitas mei.

XXIIII
Quid ab *Ancillis* Sapiẽtiæ, *Parvulis*, & *Insipientibus* denuntiatum?

Hoc autẽ mandatũ *SAPIENTIA* *Ancillis suis* denuntiandũ dedit: SI QVIS EST PARVVLVS, VENIAT AD ME: ET INSIPIENTIBVS LOCVTA EST: VENITE, COMEDITE PANEM MEVM, ET BIBITE VINVM, QVOD MISCVI VOBIS. RELINQVITE INFANTIAM, ET VIVITE, ET AMBVLATE PER VIAS PRVDENTIAE. Invitat *Parvulos, & Insipientes* ad panẽ suũ edendũ, vinumq́; bibendum, ad fruendum scilicet præfati sui cõvivii omni lautitia per Synecdochẽ *pane, & vino* notata. Deinde distributivè *Parvulis* relinquere præcipit Infantiã, *Insipientibus* ambulare per vias Prudentiæ. ¶ Sed qui isti *Parvuli?* qui *Insipientes?* Expositores plurimi, ut sonat, & non abs re. Sed placet cũ D. Hieronymo 61 *Parvulos* non ætate, sed doctrina, *Insipientes* à sapientia alienos

XXV
Parvuli, & *Insipientes* qui?

61 *Hier. to. 4. in ca. Isai. prope finẽ.*

D intel-

intelligere, (* Los Clerigos inorãtes deste Arçobispado). Hos alloquitur Sapiẽtia, hos invitat, & per ME *Ancillam suã missam ad arcem*, id est, *in suggestũ* hunc, *matutinis* quotidie horis sedẽtem, advocat *præceptis* suis erudiendos.

XXVI
Ad *Sapientiam* invitatio.

Ad opiparum, & juge *convivium* ipsa vos allicit, invitatque *SAPIENTIA*: nam verè hìc *Sapientia ædificavit sibi domum*, hoc videlicet Burgẽse Collegiũ: *miscuit vinum* doctrinæ, & religionis: *proposuit mensam*, hoc est, gymnasia cunctis *ad arcem* venientibus reseravit. Iam *Paschatis* convivale tẽpus accessit, strata est mensa, præparatæ dapes, obsonia, condita. Satiari vultis? en vocat Sapiẽtia, 62 *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi*. Vultis edoceri? accedite: nam 63 *qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius*. Trahit ne, aut rapit vos argenti, & auri cupiditas? venite ad Sapientiã: 64 *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in cõspectu illius*. Timetis esse infelices? ne eam abjiciatis: 65 *Sapientiam, & disciplinam qui abjicit, infelix est*. Desideratis stulti non

62 *Cant.* 5. 1

63 *Deutor.* 33.

64 *Sapientia* 7.

65 *Sapient.* 3.

66 Proverb. 1. 7. non haberi? eã nolite deſpicere: 66 *Sapientiam, atq; doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Cupitis omnium benevolentiam au-
67 Eccli. 20. 13. cupari? ad eam appellite: 67 *Sapiens in verbis ſe ipſum amabilem facit.* Denique ſi vos pulchritudo delectat, pulcherrima eſt Sapiẽtia; ſi fortitudo, fortiſſima; ſi majeſtas, princeps eſt, & Regina. O admirãdã *SAPIENTIAM* mille vobis nominibus venerandam, tollendam,
68 Sapient. 7. 11. prædicandam! *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* 68, poterit veſtrum unuſquiſque jactare.

XXVII Totius *AEnigmatis* brevis enodatio.

Itaq; *Arx* eminẽs, *Cathedra* hæc eſt; *Ancilla* convocans *Sapientiæ* nomine, *qui* in Cathedra ſedet, licèt indignè; lauti *Cõvivii* fercula, doctrina, ſeu *Materies* per annum agitanda; *Domus* ad docendum à *Sapientia* ædificata, *Collegium* hoc eſt inſigne; ipſius *Columnæ, Antiſtites* Illi duo præclariſſimi & *D. Nicolaus,* & *Cardinalis S. Nicolai,* quiq; ſuper ampliſſimam hanc *Metropolitanam Sedem* pro tempore ſedent.

XXVIII Illuſtr. Principis *D. Fernãdi de Azevedo* Archiep. *Burgẽ.* Caſtellæ *Præſidis* proclamatio.

Sedet nunc (qui & ſedeat per luſtra centum) Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus, ac Dominus meus

D. *FERNANDVS DE AZEVEDO*, qui ob pauperũ, ac miſerorum omniũ ſuſceptum *patrocinium*, ob inditam, ac in rebus agendis ſingularẽ *prudentiam*, ob mirabile *ſtudiũ* in ſibi ſubditis in officio continendis, ob ardentiſſimum *zelum* in publica *ſalute* procuranda, in intuenda *juſtitia*, in conſeruanda *pace*; meritò, ac meritò inter tot clariſſimos *Hiſpaniæ* viros à Catholico *Rege noſtro PHILIPPO* electus, & ſelectus, ut *Princeps* exiſteret, ac in æquiſſimo totius *Hiſpaniæ*, ſeveriſſimoq; *conſeſſu* Supremus *Cancellarius*: annuentibus, ac *Hiſpaniæ* toti gratulantibus nõ ſolùm iis, quibus *Regni* ſoſpitas, ac publica *ſalus* curæ, atq; ſtudio eſt; verùm omnibus utriuſq; ſexus, & cujuſcũq; conditionis plaudẽtibus, & acclamãtibus. Nã *Princeps* Hic ſolus demortui *FRATRIS* (cujus ſẽper *Memoria* vivet) fœlic. Reco. Religioſiſſ. *Antiſtitis*, atq; integerrimi undequaq; *Viri*, meretur *locũ* ampliſsimũ cõplere, perficere, integrare. (* Nũca eſtuvo mas llena aquella *SILLA*, que cõ cada uno de los dos *HERMANOS*; ni aũ nunca otra vez dos hermanos en Ella ſe ſentaron).

Præ

69 Supra. n. v. Præ temporis anguſtiis ampliùs nõ licet initio 69 promiſſa differre, ſed præindicato Allegorico ſenſu *AEnigmatis* ſolutioni finem imponere. Innuimus ſupra 70 ex D. Auguſtino pro *Sapiẽtiæ domo ECCLESIAM* accipi *Septenario* Columnarum numero innitente, *Septem* videlicet *Sacramentis* novæ legis, quibus firmiùs, quàm Pariis marmoribus immenſa hæc *moles* fulcitur. In quo mirandum ſanè Divinæ *Sapientiæ* artificium, atq; infinitæ virtutis Divini *VERBI* inſcrutabile judiciũ licet inſpicere; rebus externis ſpecie caducis, atq; labentibus (quibus excelſius nihil, nihilq́; Divinius, quàm cæteris ineſſe, ſenſibus apparet) ita firmã æterni ædificii *baſim* jeciſſe, 71 *ut portæ inferi adverſus eã non prævaluerint*; Divina *Providẽtia* ſe ſe fragili hominũ naturæ benigniſſimè accõmodãte. Cũ enim tãta ſit noſtra imbecillitas, ut quæ ſub ſenſum nõ cadunt, niſi ex iis, quæ ſenſibus objiciũtur, cõjectare nequeat; ad Divinæ *Providentiæ* 72 fortem, ſuavemq́; diſpoſitionem pertinebat, arcana myſteria ſub ſenſibilibus *ſignis* nobis proponere, eaq́;

XXIX Allegoricè de *Septem Sacramẽtis* Parabola exponitur.

70 Supra. n. x.

71 Matth. 16. 18.

72 Sapient. 8. 1.

instrumēta efficere, quibus & ab homine colatur DEVS, & à DEO recipiat homo (juxta Apostolum Petrum 73) *Divinæ naturæ consortiũ*, & sanctificantis *Gratiæ* beneficium. Hæc itaq; *Septem Colũnarũ*, seu *Sacramētorũ* novæ legis dignitas est, & majestas, ob quam longè Fortiora, Sanctiora, atq; Diviniora, quàm *Sacramēta vetera* cēsētur ab 74 Ambrosio: quia, *licèt numero pauciora sint, virtute tamen majora, utilitate meliora, actu faciliora*, ut Augustinus 75 cōtra Faustum.

73 2. *Petri* 1. 4.

74 *D. Ambr. to. 4. lib.* [illegible] *de Sacramētis c.* [illegible]

75 *D. Aug. to. 6. li. 19 contra Faustũ c.* [illegible]

XXX
Ex singulorum *munere* Septenarius *Sacramentorum* numerus ostensus.

Illa quamplurima; *Nostra* tantùm *Septem*, in Sapientiæ Domi *Columnis Septem* mirificè adũbrata. *Septē*, inquã, *nec plura, nec pauciora* 76 (quid quid delirent nostri temporis impudentissimi 77 hæretici) *ut Sanctarum Scripturarum Doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atq; aliorum Cōciliorum, & Patrum consensu inhærendo* 78, *SPIRITV SANCTO* afflante, definit Sacrosancta œcumenica *Tridentina* Synodus. Quod non solùm auctoritate, sed cōgruentibus etiam rationibus efficaciter convincitur tũ à Concilio 79 Florentino, cùm ab Angelico Doctore: cujus ad unguem sequens *fragmentum*,

76 *Concil. Trid. sess.* [illegible] *cano.* 1.

77 *ut videre est apud Bellarm. to. 2. tract. de Sacram. in genere cap. 23. lib. 2.*

78 *Conc. Trid. sess. 7. in Proœmio.*

79 *Conc. Florentin. in Decret. Eugenii ad Armenos.*

seu

ſeu Articuli primi Quæſtionis 65. tertiæ Partis integrũ *Corpus* ſũmatim repetere, nõ reputo abs re, nõ injucũdũ. Nam cùm proportio quædã ſit (docet Sãctiſſimus 80 Præceptor) & corporalis, & ſpiritalis vitæ, in quam *Sacramẽta* referũtur; tot certè inſtitui debuerunt *Sacramenta,* quot ſint res conducibiles, aut etiam neceſſariæ ad vitam temporalem vel acquirendam, vel conſervãdam. Ad temporalem, ſeu ſublunarem vitam *primò* neceſſe eſt , ut quis *generetur*; ſimili igitur modo *regenerationẽ* cõfert ſpiritalis vitæ *BAPTISMVS*. *Secundò* ut *augeatur*; quod & præſtat analogia quadam *CONFIRMATIONIS* Sacramentum, in quo Neophytis datur vivificãtis Gratiæ robur. *Tertiò* ut *nutriatur*; quod ſpiritaliter tribuit *EVCHARISTIA*. *Quartò* ut, ſi in morbum incidat, *ſanetur*; ſanat autem in vita ſpiritali Sacramentum *POENITENTIAE*. *Quintò* ut depulſis morborum reliquiis *inſtaurentur* priſtinæ vires; id fit ſpiritaliter in *EXTREMA VNCTIONE* . Præterea, quoniam homo ſibi non tantùm vivere debet, ſed etiam(cùm animal ſit ſociabile)

80 *D. Thom. 3. p. q. 65. art. 1. in corpore.*

bile)universali commodo; necesse est *Sextò* ad humanam vitam rectè regendam,aliquã esse potestatem, seu aliorum in alios auctoritatem, ut *regantur* scilicet, & justè gubernentur;quem ad finẽ est in cõmunitate *Ecclesiæ* Sacramẽtũ *ORDINIS* institutũ, *Septimò* deniq; ratione quoq; boni cõmunis necessaria est propagatio sobolis;quæ ut decẽs sit, ad vitã etiam spiritalẽ in Catholica Ecclesia tuẽdam *MATRIMONIUM*,quod priùs tãtùm erat naturalis cõtractus,instituit *CHRISTUS* Dñs *Sacramentũ*. His quidẽ *Septẽ* adamãtinis *Columnis* fulcitur Ecclesiæ *Domus*.

XXXI
Antiquis expiationibus *Sacramẽtorum numerus* adumbratus.

Qui *Septenarius* numerus *Sacer* semper fuit in *expiationibus* Israëlitico populo,ut 81 Exodi,82 Levitici, 83 Numer.84 Deuteron.85 Paralyp.86 Iob liquet ex pluribus locis. Vbi semper in *expiationibus* vel *septẽ* animalia immolari jubetur, vel *septem* diebus, seu *septies* sanguinem aspergi. Sed & Naaman 87 Syrus 4. Reg. 5. *septies* jussus est lavari ad purgandã lepram. In quo acutè sane,perdoctèq; simul(ut moris est)Cardinalis 88 Bellarminus Sectariorum

nostræ

81 *Exo.29.ver.30.3[illegible] & 37.*

82 *Levit.4.v.6.&1[illegible] & ca.8 v.11.&3[illegible] cap.13.v.4.5.6.2[illegible] 31.50.54.ca.14.[illegible] 7.8.16.38.51.cap[illegible] 15.v.13.19.24.28 cap.16.ver. 14.19 Ca.23.v.3.6.8.1[illegible] 34. 36. 39. 41.4[illegible] cap.25.ver.8.*

83 *Numer.19.ver.4 11.14.16.19.*

84 *Deutor.15. v.1.9 12.cap.16.ver.3.4 9.13.15.*

85 *2.Paral. 29. v.21 ca.30.v.21.22.23*

86 *Iob. 42.8.*

87 *4.Reg. 5.v. 10.14*

88 *Bellarm.to.2 lib.[illegible] de Sacramẽtis cap 26.in fine.*

bile)universali commodo; necesse est 81
Sextò ad humanam vitam rectè regen- *Exo.29.ver.3 & 37.*
dam,aliquã esse potestatem, seu alio- 82
rum in alios auctoritatem, ut *regantur* *Levit.4.v.6.*
scilicet, & justè gubernentur;quem ad *& ca.8 v.11.*
finẽ est in cõmunitate *Ecclesiæ* Sacra- *cap.13.v.4.5.*
mẽtũ *ORDINIS* institutũ, *Septimò* de- 31.50.54.*ca.*1
niq; ratione quoq; boni cõmunis ne- 7.8.16.38.51.
cessaria est propagatio sobolis;quæ ut 15.*v.*13.19.24
decẽs sit, ad vitã etiam spiritalẽ in Ca- *cap.16.ver.* 14
tholica Ecclesia tuẽdam *MATRIMO-* *Ca.* 23.*v.*3.6.8
NIVM,quod priùs tãtùm erat natura- 34. 36. 39. 41
lis cõtractus,instituit *CHRISTVS* Dñs *cap.25.ver.*8.
Sacramentũ. His quidẽ *Septẽ* adamãti- 83
nis *Columnis* fulcitur Ecclesiæ *Domus*. *Numer.19.ver* 11.14.16.19.

XXXI

Antiquis expiationibus *Sacramẽtorum numerus* adumbratus.

Qui *Septenarius* numerus *Sacer* sem- 84
per fuit in *expiationibus* Israëlitico po- *Deutor.* 15. *v.*
pulò,ut 81 Exodi,82 Levitici, 83 Nu- 12.*cap.16.ver.*
mer.84 Deuteron.85 Paralyp.86 Iob li- 9.13.15.
quet ex pluribus locis. Vbi semper in 85
expiationibus vel *septẽ* animalia immola- 2.*Paral.* 29. *v.*
ri jubetur, vel *septem* diebus, seu *septies* *ca*.30.*v.*21.22
sanguinem aspergi. Sed & Naaman 87 86
Syrus 4. Reg. 5. *septies* jussus est lavari *Iob.* 42.8.
ad purgandã lepram. In quo acutè sa- 87
ne,perdoctèq; simul(ut moris est)Car- 4. *Reg.* 5.*v.* 10
dinalis 88 Bellarminus Sectariorum 88

Bellarm.to.2 li de Sacramẽtis 26.in fine.

nostræ

noſtræ ætatis arguit nõ minorẽ imperitiam, quàm impudentiam, qui ex eo cõtra nos quaſi abſurdè ideò colligi autumant, futura non ſolùm *Septem*, ſed & octo, decem, vel duodecim *Sacramenta*; quoniã octonarius, denarius, atq; duodenarius numeri celebres etiam fuere in *Scripturis.* Ignorantes ſanè numeros alios, quàm *Septem*, nõ obſervari in expiationibus: figuratim tota clamante *Scriptura*, futurum aliquando *aureum ſæculum*, quo *ſeptem* ſacra, & efficaciſſima *remedia* DEVS Opt. Max. in *expiationẽ* criminum largiretur. ¶ Quam etiam ob cauſam *ſepties* è ſacratiſsimo *SERVATORIS* noſtri Corpore *Sãguinẽ* profluxiſſe meditatur dulciſſimus ille Bernardus 89. Cùm *Circunciſus* nimirum *primò*; *deinde* cũ in *Horto* ſudore manavit; *tertiò* cùm *Colaphi* in venerandas *Malas* inflicti; *quartò* cùm *Flagris* cæſus; *quintò* cùm *Spinea Corona* in *Caput* impacta; *ſextò* cùm *Clavis* cõfixus, *ſeptimò* denique cùm vulnus in *Latus* dira *Lancea* illatum. Vt non jam ſolùm in veterum *expiationum* animalibus, nõ jam in ænigmaticis *figuris*; verùm etiam & in *figurato*

XXXII
Cur CHRISTVS *Septies* ſanguinem profluxerit?

89 ...Bern. tract. de ...ſſione Dñi. à ca. ...6. ad 41.

rato ipso humani generis *REDEMPTORE Septenarius* numerus *sacer*: cùm infiniti valoris in Cruore ejus *septies* effuso *Septem* novæ legis *Sacramenta* adũbrata fluxerunt, cùm efformata manarunt.

XXXIII Brevis Cõclusio.

En vobis propositæ (gravissimi Viri) Ecclesiæ *Domus* à Divina *Sapiẽtia*, simul atque Omnipotentia, & Misericordia *septẽ excisæ Columnæ*, Septem videlicet *SACRAMENTA*; *per quæ* (juxta Tridẽtinũ 90) *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*. De quorũ munere *in Genere*, *Materia*, *Forma*, *Ministro*, cæterisque prærequisitis (quemadmodũ nõ nihil supra 91 de *Numero*) adamussim DEO dante per annum vestra bona cum venia disseremus.

90 *Conc. Triden. sess. in Procemio.*

91 *Supra à n. XXIX*

XXXIIII *vespertinæ* Lectonis indictio.

Ast *ego* qui disseram? Edisseret, inquam, sapientissimus Dñs Doctor *Consalvus Sanctius à Somoza*, in cujus laudũ campo si fræna ingenio meo laxarem, debito potiùs consulerẽ officio, quàm temporis angustiæ. Ortus clarissima stirpe *olim* apud *Salmãticense* literarum emporium in augusto *SALVATORIS*

de

de *OVIEDO Collegio* adſcriptus, neſcio an nobilibus decoratus *inſignibus*, an nobilium *inſigniũ* decorator. *Mox* ad ſublime *Cathedræ* faſtigium evectus & ſuffragio communi, & frequẽti plauſu. *Nunc* omniũ felici calculo in Alma *Burgenſi* noſtra *Eccleſia* moderator, & *Magiſter Cõtionum*, ſacriq; *Suggeſti* clavũ tenens. Pro meritis *tandẽ* Infulas *Pontificii* culminis adipiſcens felicioris Eccleſiæ ad *gubernacula* accedet. De *Confeſſione* incipiet *veſpertinũ* ſermonẽ texere, tenuitati meæ cumulatum afferens *ſupplemẽtũ*, ne ſi ſolus ego *pabulum* adminiſtrẽ, cum nauſea ſit omnibus ad ſaturitatẽ, nedum ad faſtidium.

Sub correctione Sanctæ Matris Eccleſiæ.

BVRGIS,
Apud Petrum de Huidobro.
M. DC. XXI.